

Textblatt

**(1) J. C. Scaliger, *Poet.* iii 99, Bd. 3, 62, 2-7 D – VS:**

Materiam *hylan* dixerunt Graeci, inde sylva nobis; innumeris enim paene vel operibus vel officiis suppeditatur a lignis materia. Grammatici recentiores quod invenissent in libris vetustioribus alia vocali quam Graeca scriptum, a silendo deductum maluere, sane ridicule. Nusquam enim minus quam in silvis silentium; minima namque aura maximi strepitus excitantur.

**(2) *Ibid.* (p. 62, 8-11 D – VS):**

Poemata ergo quaedam, ut docet Quintilianus, subito excussa calore sylvas nominarunt veteres vel a multiplici materia vel a frequentia rerum inculcatarum vel ab ipsis rudimentis; rudia namque poemata et sane effusa postea castigabant.

**(3) Quint. *Inst.* 10, 3, 17:**

Diversum est huic eorum vitium, qui primo decurrere per materiam stilo quam velocissimo volunt et sequentes calorem atque impetum ex tempore scribunt: hanc silvam vocant. Reperunt deinde et componunt quae effuderant: sed verba emendantur et numeri, manet in rebus temere congestis quae fuit levitas.

**(4) J. C. Scaliger, *Poet.* iii 99, Bd. 3, 62, 11-16:**

Cum igitur cuiuscumque rei argumento accepto afflari possis ad meditandam atque ilico pronuntiandam silvam, operae pretium erit nos hic ponere sua cuiusque loci praecepta, quorum delineationibus tot tamque diversae facies figuras proprias adipiscantur.

**(5) *Ibid.* iii 102, Bd. 3, 106, 2-10:**

Natum hominem multa variaque sequuntur eventa: condicio, status, negotia, valetudo, mors. Quae omnia sylvarum materia esse solent. Itaque laudantur consulatus, victoriae, triumphus, statuae, festa, ludi, togae purae, bullae, praetextae, praedia, naves. Laudantur, inquam, pro condicione statue personarum. In negotiis sunt exhortationes, prosecutiones, consolationes, votorum susceptiones. Quare et in bellum profecturos prosequimur bene ominata oratione, neque eos solos, sed etiam quomodocumque peregre futuros.

**(6) *Ibid.* vi 6, Bd. 5, 284, 16-19:**

Qui vero Silvas praeponunt, nugantur delectati calore illo vago, cuius impetu quasi per saltus omnia carpat oratio. Quare desultorium poema Silvas ipsas appellare solitus sum.

**(7) *Poet.* vi 4, Bd. 5, 154, 8-11:**

Politianum traxit ardor eruditionis ad stilum Silvarum. Itaque et lectionis variae condituris et impetu excursuque Statio propior ac similior. Quare neque candorem quaesivit et amisit venem, numeros vero etiam contempsit.